



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Secundus In Octo Libros Physicorum Aristotelis

Crespin, François

Bruxellæ, 1652

III. An duæ causæ possint quoad primum esse sibi invicem esse causæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95369)

dicatur prius prioritate à quo originato; originatum verò posterius posterioritate à quo: hanc autem prioritatem originis volunt esse communem prioritati naturæ sive causalitatis, & prioritati quæ in divinis habet Pater ad Filium, & Pater ac Filius ad Spiritum sanctum, vel etiam actio ad suum effectum: frustra, inquam, ita dividitur, nam prioritas originis, sive à quo, est vera prioritas naturæ, modo à nobis num. 43. supra explicato; & sicut rectè dicitur prius naturâ ut quod, quod est causa ut quod; ita actio, quæ est causa ut quo, rectè dicitur prior naturâ ut quo effectû; videtur enim omnimoda proportio & paritas, quam quia præfati Authores servare non possunt; nam actio, utpote fieri intrinsicè effectus, existere non potest sine effectû; vel inde patet ipsorum definitionem prioris naturæ, & Aristotelis, non esse bonam.

XLVII. Adde illam etiam rejici posse ex eo, quòd causa debeat (ut faretur hic P. Ovidius) constitui naturâ prior per ipsam actionem productivam effectus; quia prioritas naturæ est prioritas actionis sive causalitatis; causa verò ut per actionem constituta prior naturâ effectû, non potest magis ab effectû separari, aut esse sine effectû, quàm ipsa actio, propter quod tamen negant actionem esse priorem naturâ effectû.

XLVIII. Colliges 2^o. hic non esse sermonem de prioritate naturæ latè sumpta, quæ nihil aliud est, quàm superioritas, sive major communitas unius, quàm alterius; eò quòd non convertantur essendi consequentia; sed strictè & Physicè. His suppositis & præmissis, sit

RESOLUTIO I.

XLIX. **D**ico 1^o. causa non debet esse prior suo effectû prioritate temporis.

I. Probatur, quia sol eodem instanti, quo est, illuminat, & materia eodem instanti, quo est forma materialis, eam recipit, & hæc materiam informat, ergo, &c.

II. Confirmatur, esse causam est dare esse rei; sed causa, sive præcesserit tempore, sive non, non dat esse rei, nisi pro instanti quo res est; imò si præcesserit, & non sit amplius eo instanti, quo res recipit esse, non dat, ut constat ex dubio præcedenti, quia actio debet determinari ad esse per aliquid existens; ergo causa non debet esse prior suo effectû prioritate temporis.

RESOLUTIO II.

LII. **D**ico 2^o. causa debet esse prior suo effectû prioritate naturæ.

LIII. Probatur, quia esse prius naturâ nihil est aliud, quàm communicare esse alteri; sed omnis causa communicat esse alteri, ut patet ex definitione causæ, ergo, &c. Probatur major, quia esse causam, & esse prius naturâ, sunt eadem; sed esse causam est communicare esse alteri, ergo, &c. Sed

LIV. Petes, cur non dicam cum omnibus aliis communiter, esse prius naturâ, esse habere effectum à se dependentem, & non dependere ab illo, sed absque concursu ullo illius existere.

LV. Respondeo in primis, quia causa est constituta prior naturâ per actionem, & tamen ratione actionis pendet ab effectû: 2^o. quia excludit actionem à prioribus naturâ, contra dicta n. 46. supra collectione 1^a. 3^o. quia superflua sunt ultimæ particulæ & non dependere ab illo, &c. nam, sicut illud re-

vera est causa, quod præcisè habet effectum à se dependentem, id est, secundum nos, quod communicat esse rei, ita & prius naturâ. 4^o. quia sicut hæc definitio excludit prioritatem naturæ in divinis, ubi necessariò agnoscenda est mutua dependentia necessariæ conjunctionis, ita rationem causæ, prout est præcisè principium communicans esse rei, contra dicta supra Disp. 2^a. Dub. 10. ex his

LVI. Colliges 1^o. causam esse priorem effectû prioritate naturæ, sive, causam esse in priori naturæ, quàm sit effectus, nihil aliud esse, quàm causam communicare esse effectui; & è contra, effectum esse posteriorem, &c. nihil aliud esse, quàm effectum esse communicatum à causa: unde prioritas & posterioritas naturæ est realis ante intellectum, & præcisionis ac post intellectum non nisi per fictionem, dividendo indivisibile instans reale in duo instantia, quorum unum dicitur prioritas naturæ, aliud posterioritas; ad eum ferè modum, quo punctum indivisibile per fictionem divideretur in duas partes, quarum una diceretur initium, altera finis. Hinc

LVII. Colliges 2^o. hujus locutionis, effectus non est in priori naturæ, non esse hunc sensum, in eo puncto rationis, in quo concipitur esse causa, non concipitur esse effectus, non est effectus, est negatio effectus, &c. in quibus plurimi decipiuntur; sed hic, causa non est effectus; quia prioritas naturæ est realis, non rationis, ut diximus; essetque (ut patet) adhuc prioritas & posterioritas naturæ, non secus ac causalitas inter solem & lucem, cessante possibilitate omnis intellectus; sic patet primam explicationem ipsorum esse falsam: secundam verò & tertiam sic rejici, non est effectus in eo puncto rationis, in quo est causa, & est negatio effectus in eo puncto rationis, in quo est causa, ipsa non differunt, magis quàm hæc, non est effectus in eo puncto sive instanti reali, in quo est causa, & est negatio effectus in eo puncto reali, in quo est causa; & solum discrimen est, quòd utraque hæc sit falsa, & utraque illa vera; sed utraque illa explicatio æquivalet huic, negatio effectus est causa effectus; quia, ut toties dixi, prius punctum, sive instans naturæ nihil aliud est, quàm ipsa causa actu; sed hæc explicatio est aperte falsa, ergo & utraque illa.

D V B I V M III.

An dua cause possint quoad primum esse sibi invicem esse causa.

RESOLUTIO I.

LVIII. **D**ico 1^o. causæ causantes secundum dinale, ut efficiens & finalis, possunt esse sibi invicem causæ quoad primum esse, sicque Philosophum hic cap. 5^o. textu 30^o. & 5^o. Metap. cap. 2^o. intelliges, dum enumerando proprietates causarum, docet, quasdam esse sibi mutuo causas.

LIX. Probatur, quia sanitas, ob quam habendam Petrus ambulat, finaliter causat deambulationem, & deambulatio ipsam efficiens; quorum ratio est, quòd causa finalis ut talis, non habeat existentiam realem, sed intentionalem tantum, illam autem habet effectus ipsius (ut suppono;) sed nihil obstat quominus illud, quod habet existentiam realem, existentiam realem det non habenti; ergo potest deambulatio effectus sanitatis causæ finalis dare existentiam realem sanitati, ac proinde causa efficiens suam causam finalem efficiens causare. Reso-

Reso-

RESOLUTIO II.

LX. Ico 2^o. materia & forma naturaliter se mutuò causant formaliter quoad primum esse. Est D. Thom. 1^o. p. q. 66. art. 1^o. Rubii, Fonsec. Conimb. Compl. &c. contra Scotum & Scotistas, Gregorium, Henr. Aureol. Avicenn. Suar. Hurtad. Arriag. (qui dicit hanc & sequentes à nullo affirmari, quod sciat;) Oviedum, Poncium (qui dicit omnes fieri materiam in genere causæ materialis non posse causari ab alia materia, quam ipsamet causaret in genere causæ materialis, de quo Resolutione sequenti; nec formam posse causari ab alia forma, quam ipsa formaliter causaret;) Tellem, qui dicit oppositam esse communem.

LXI. Probatur, quia optimè intelligitur eodem instanti indivisibili formam esse causam formalem materiæ, & materiam esse causam formalem formæ, ergo, &c. Probatur antecedens 1^o. quia eadem indivisibilis causalitas causæ formalis in materiam, est materiæ in formam, ergo optimè intelligitur eodè instanti indivisibili mutua causalitas formalis materiæ & formæ, sive formam esse causam formalem materiæ, & materiã esse causam formalem formæ.

LXII. Confirmatur, causare formaliter nihil aliud est, quàm esse in subiecto denominationis, denominare, &c. sed eodem indivisibili instanti, quo forma est in materia tanquã subiecto denominationis, quo forma materiam denominat informatam, &c. materia est in ipsa tanquam subiecto denominationis, materia formam denominat materietatam, &c. ergo, &c. Probatur major, quia causare formaliter vel est recipi in alio tanquam subiecto sustentationis, vel tanquam denominationis & informationis, aliud enim non suppetit: non primum, quia aliqui anima rationalis non esset causa formalis corporis, ut patet; ergo secundum: Probatur minor, quia eodem instanti indivisibili forma est unita materiæ & materia unita formæ, ut patet; unio autem est ipsa causalitas formalis & forma denominans ut quo, ergo, &c.

LXIII. Nec dicas cum P. Oviedo (qui Physicæ controv. 7^o. punct. 8. n. 1^o. dicit de opposita sententia nullam esse dubitandi rationem, & punct. 9^o. n. 2^o. nullum audere hanc & sequentem Resol. defendere) causalitas formalis nihil aliud est, quàm unio inter materiam & formam; sed implicat hoc extremum, quod unitur alteri tanquam formæ, eisdem tanquam materiæ uniri, quia ratio materiæ non sumitur ex diversitate unionis, sed ex diversitate intrinseca earum entitatum, quæ ununtur. Hæc ille. Sed

LXIV. Contra, P. Oviedus supponit aperte falsum, videlicet causalitatem formalem esse unionem materiæ ut talis entitatis Physicæ, ad formam ut talem entitatem Physicam, & è contra, cum tantum sit unio materiæ ut subiecti denominationis, ad formam denominantem; haud minùs verò forma potest esse subiectum denominationis materiæ, quàm materia formæ; unde se mutuò causant formaliter: quòd autem causalitas formalis non sit unio materiæ ut talis entitatis Physicæ, ad formam ut talem entitatem Physicam, patet à simili in causalitate efficienti, quæ non est causæ ut talis entitatis Physicæ, ad effectum ut talem entitatem Physicam, sed ut principii ad principiatum; unde potest, saltem divinitus, eadem entitas, quæ est causa, esse effectus, & è contra. Ex quo

LXV. Confirmatur conclusio, eadem entitas, quæ

est effectus, potest esse causa efficiens, si habeat causalitatem efficientem in causam; ergo etiam eadem entitas, quæ est causa materialis, potest esse formalis, si habeat causalitatem in formam; atqui hanc, utpote unionem, reverà habet eodem indivisibili instanti, quo forma illam habet in ipsam, ergo, &c.

RESOLUTIO III.

LXVI. Ico 3^o. supernaturaliter saltem, materia & forma se mutuò in eodem instanti reali causare possunt materialiter quoad esse negativè primum, sive per generationem negativè primam. Item causa efficiens & effectus efficienter, etiam quoad primum esse: est contra Authores nominatos Resolutione 2^a. & alios communiter.

LXVII. Probatur 1^o. eodem instanti indivisibili, quo est causa materialis sive materia, naturaliter potest educi effectus materialis, sive forma, ex materia quoad primum esse, ergo & eodem indivisibili instanti, quo educitur effectus materialis, sive forma, ex materia, potest, saltem supernaturaliter, educi causa materialis, sive materia, ex forma quoad primum esse; si enim effectus non postponatur causæ suæ in aliquo instanti, etiam non præsupponit causam suam in aliquo instanti (idem proportionaliter dicendum de causa efficiente & effectu ipsius;) ac per consequens sunt in eodem instanti, eodemque instanti se mutuò causare possunt naturaliter, ut contendimus, ergo, &c.

LXVIII. Probatur 2^o. causa, actio & effectus (puta, sive materialis, sive efficiens) sunt simul in eodem indivisibili instanti; sed non est ratio, cur sicut eodem indivisibili instanti, quo incipit causa esse, ipsius actio naturaliter tendit in effectum quoad primū esse, ita non tendat supernaturaliter eodè indivisibili instanti, quo incipit effectus esse, effectus actio in causam suam quoad primum esse, ergo, &c.

LXIX. Probatur minor, quia non minùs potest ab effectu eodem indivisibili instanti, quo incipit esse, egredi (saltem supernaturaliter) una actio productiva suæ causæ quoad primum esse, quàm à causa eodem indivisibili instanti, quo incipit esse, egredi naturaliter una actio productiva effectus quoad primum esse; quia sunt simul in eodem indivisibili instanti, quo causare debent, ergo, &c.

LXX. Confirmatur 1^o. in sententia plerorumque ex Adversariis admittentium accidens producere substantiam in virtute substantiæ, eodem instanti, quo dispositiones v. g. calor intensus, siccitas, &c. producant formam ignis quoad primum esse; forma ignis illas producere debet quoad primum esse, si supponantur à Deo eodem indivisibili instanti, quo formam producant; productæ, quod saltem supernaturaliter fieri potest, ergo, &c.

Probatur sequela, quia ignis habet vires sufficientes ad illas producendas; nec aliud obstat potest, quàm quòd forma ignis sit effectus à talibus dispositionibus productus, quod, attendendo ad potentiam Dei absolutam, nullum est obstaculum, ut contendimus, ergo, &c.

LXXI. Confirmatur 2^o. ex hac Resolutione clariùs intelligitur, quomodo Pater in divinis sit realis causa, sive principium efficiens (de quo est eadem difficultas) Filii, & tamen Pater non sit prior Filio, ut docent omnes Theologi: deinde nihil negandum divinæ potentiæ sine aperta repugnantia, quæ hic non ostenditur, ut solutione argumentorum patebit, ergo, &c.

LXXII. Confirmatur 3^o. duæ causæ formales possunt se mutuò naturaliter formaliter causare quoad primum esse formale, quidni & saltem supernaturaliter, duæ materiales quoad primum esse sustentatum, & duæ efficientes quoad primum esse effectum?

LXXIII. Confirmatur 4^o. duo possunt sibi eodem instanti reali esse conditiones, ergo & causæ: consequentia tenet à pari: antecedens patet in partibus minimi naturalis formæ, quæ se invicem conservant, si simul coexistant; & utraque perit, si altera separetur, ergo, &c.

LXXIV. Respondet P. Comptonus hic esse disparitatem, eò quòd juxta Aristotelem & Philosophos omnes, causa sit prior naturà effectui, utpote in naturà realiter à se distinctam influens, &c. Sed

Contra, contendimus causam sic esse priorem naturà effectui, id est, sic effectum causare, ut dubio 2^o. vidimus, ut concomitanter effectus esse in ipsam naturam à se distinctam realiter influat; quod non solvit P. Compton. quia non advertit nos contendere esse prius naturà, aliud non esse, quàm causare.

LXXV. Objicies 1^o. causa est prior effectui suo, & actione per quam illum producit, ergo nequit in eodem genere à suo effectui produci. Probatur consequentia: quia alioqui effectus & actio ejus, per quam produceret causam, esset prior & posterior causæ effectus; prior quidem, quia actio & effectus essent causa illius; posterior, quia illa est prior effectui & actione, per quam producit effectum; sed hoc est impossibile, quia idem præsupponeretur sibi ipsi, esset prior & posterior seipso, ut consideranti patebit, ergo, &c.

LXXVI. Respondeo ad hoc argumentum, quod Suarem, Hurtadum, Arriagam, Oviedum, Poncium & cæteros Authores adversæ partis fecellit: distinguendo antecedens: causa est prior prioritate naturæ suo effectui, id est, est causa sui effectus, concedo antecedens: causa est prior prioritate instantis realis vel rationis suo effectui, nego antecedens; unde cum dicitur, quòd si esset causa suæ causæ, quòd effectus & actio ejus esset prior & posterior causæ, & actione per quam produceretur effectus; item quòd effectus præsupponeretur sibi ipsi, sensus est, quòd effectus & actio ejus essent causa suæ causæ, & effectus suæ causæ, quod esse possibile clarè ostensum est: quòd autem sit ille sensus, patet, quia illud dicitur prius prioritate naturæ, quod est causa; esset autem effectus causa suæ causæ; unde ex illo capite esset prior: & illud dicitur posterius posterioritate naturæ, quod est effectus; esset autem effectus etiam effectus suæ causæ; unde ex illo capite esset posterior; ac proinde simul prior & posterior, hoc est, causa & effectus suæ causæ, cujus repugnantia ostendi debet independentè à prioritate & posterioritate, dependentia & independentia, præsuppositione sibi ipsi, &c. qui termini fallunt adversarios, quia aliud non significant, quàm esse causam & effectum. Quare, dum quaritur, an effectus possit causare suam causam quoad primum esse, & probatur quòd non, per illos terminos, probatur effectum non posse esse causam suæ causæ quoad primum esse, quia alioqui causa esset effectus sui effectus; vel quia alioqui effectus esset causa suæ causæ, &c. cujus repugnantiam quærimus, & nullam videmus, præter petitionem principii ab Adversariis.

LXXVII. Instabis, effectus præsupponit actionem à qua producit, & illa actio suam & effectus sui

causam; ergo actio productiva causæ effectus & actionis, per quam producit, nequit egredi ab effectu: Probatur consequentia; quia, cum præsupponere debeat id, à quo egreditur, tanquam causam sui, præsupponeretur effectui & postponeretur effectui, ut consideranti patebit, quod est intelligibile, ergo, &c.

LXXVIII. Respondeo distinguendo antecedens, ut ante, effectus præsupponit actionem, & illa actio suam & sui effectus causam, id est, actio est prior effectui, & causa est prior su à actione & effectui prioritate alicujus instantis realis vel rationis, nego antecedens; quia sunt simul eodem instanti indivisibili, causa, actio & effectus: effectus præsupponit actionem, id est, actio est causalitas in effectum; & actio præsupponit suam & sui effectus causam, id est, causa est suæ causalitatis in effectum & effectus sui causa, concedo antecedens: sed quæro, ut ante, quare, sicut eodem indivisibili instanti potest dari causa, effectus & causalitas effectus in causam, non possit etiam eodem indivisibili instanti dari causa, effectus & causalitas effectus in causam? non potes respondere, quia effectus præsupponeretur sibi ipsi; nam tuæ Responsonis esset hic sensus, quia effectus esset causa suæ causæ, in quo nullum videmus absurdum, & quærimus quare fieri non possit supernaturaliter? principium petis & nihil plus.

LXXIX. Urgebis: causa non existit per causalitatem suam in effectum, & multò minùs per causalitatem egressam ab effectu, quia hæc illam præsupponit, sicut & effectum, à quo egreditur, qui & illam præsupponit, ergo existit per causalitatem priorem illa, ac proinde necessariò ab alia causa, quam effectu.

LXXX. Confirmatur, causalitas causæ in effectum egreditur à causa, non per ipsammet causalitatem existentem; quia alioqui certo sensu illa causalitas dici posset existens per seipsam, sicut illa causa esset existens per illam, juxta illud axioma, quòd est causa causa, est causa causari: deinde etiam quia alioqui, sicut causa efficiens esset existens per illam sine alia actione, ita ipsa posset esse existens per seipsam sine alia causa efficiente; si enim posset dare existentiam suæ causæ, quidni & sibi ipsi? ergo causalitas causæ in effectum egreditur à causa existente per aliam causalitatem, quàm sit ipsa causalitas ab ipso egressa.

LXXXI. Respondeo negando antecedens pro 2^a parte, ad ejus probationem distinguo, causalitas egressa ab effectu præsupponit causalitatem causæ in effectum, id est, causalitas in effectum est prior effectui & causalitate ab ipso egressa, prioritate alicujus instantis realis vel rationis, nego antecedens: id est, causalitas in effectum est id, quòd causa producit immediatè effectum, & hoc mediante causalitatem, quæ ab ipso egreditur, concedo antecedens: similiter distingue consequens; ergo existit per causalitatem priorem illa, id est, existit per causalitatem, quæ sit prior prioritate alicujus instantis realis vel rationis, nego consequentiam; id est, quæ sit causalitas in ipsam, concedo consequentiam; sed quæro, quare, sicut eodem indivisibili instanti possunt esse causa, effectus, & causalitas causæ in effectum, non possit etiam esse effectus, causa, & causalitas effectus in causam? semper ad aliud Respondes; sed quid mirum? tam altè hanc falsam doctrinam imbibisti, ut illius oblivisci non possis.

Ad Confirmationem

Respondeo

D V B I V M I V.

An res eodem instanti reali, quo à solo Deo v. g. producitur, supernaturaliter possit emittere aliam actionem efficienter suiipsius productivam, & sic dare sibi esse primum per actionem negativè primam.

Ante Resolutionem

LXXXVIII. **A** Suppono nihil posse sibi dare esse positivè primum, nisi Deus ens à se; quia nihil indifferens & indeterminatum ad existere, aliud similiter indifferens & indeterminatum ad existere, determinare potest ad existere, ut patet: deinde primum agere supponit existere, ut lumine naturæ notum est, & talem actionem emittere, supponit elevationem supra vires suæ naturæ; nihil autem elevari potest non existens. Hoc supposito, sit

R E S O L U T I O.

LXXXIX. **D**ico; res eodem instanti reali, quo à solo Deo v. g. producitur, supernaturaliter potest emittere aliam actionem suiipsius efficienter productivam, & sic dare sibi esse primum per actionem negativè primam, eodem instanti reali & rationis, quo à solo Deo producitur.

LXXX. Probatur; optimè intelligitur, ex dubio præcedenti, supernaturaliter materiam sustentare & sustentari à forma; formam denominare & denominari à materia; ignem A. producere & produci ab igne B. concomitanter, & in eodem instanti reali & rationis; ergo similiter optimè intelligitur materiam produci unâ actione creativâ, & reproduci aliâ actione educivâ ex seipsâ; formam produci unâ actione creativâ, & reproduci aliâ actione educivâ, ac per consequens unitivâ ex seipsâ; ignem produci, & producere actionem sui efficienter productivam concomitanter & in eodem instanti reali & rationis: probatur consequentia, quia eadem, & solæ rationes, ut infra patebit, quæ militant contra hæc, militant contra illa.

LXXXI. Subsumo: sed in primo casu, materia prima causat seipsam, quoad primum esse causæ materialis, per actionem negativè primam; quia non habet aliud esse causæ materialis in illo instanti, licet habeat concomitanter aliud esse effectû & causæ formalis: & in secundo casu, forma causat seipsam quoad primum esse causæ formalis; quia non habet etiam aliud esse causæ formalis in illo instanti, licet habeat concomitanter aliud esse effectum & causæ materialis: & tertio denique casu, ignis causat seipsum quoad primum esse causæ efficientis; quia non habet primum illud esse ab alia causa efficiente sui ordinis; nam causalitas, quâ illud habet, non est causa, nec in illo instanti, sive reali, sive rationis, habet aliud esse effectum, ergo, &c.

LXXXII. Objicies 1^o. ex P. Oviedo Physicæ controv. 9^a. punct. 1^o. ex identitate numerica præcisè ejusdem secum, repugnat idem recipi in seipso, idem fieri à seipso: unde, ille idem, *mibi quidem difficile est idem fieri à seipso, sed paradoxum sapit dici idem in seipso recipi posse*, ergo, &c.

LXXXIII. Respondeo negando antecedens pro prima parte, 1^o. quia sicut ex identitate specifica non repugnat, saltem supernaturaliter, unum recipi in alio ejusdem secum speciei & unum fieri ab alio ejusdem secum speciei; ita nec ex identitate numerica præcisè repugnat, idem numero recipi in seipso, idem numero fieri à seipso, &c. Deinde

LXXXII. Respondeo distinguendo consequens; ergo causalitas causæ in effectum egreditur à causa existente per aliam, quàm sit, causalitatem, in qua alia includatur causalitas totalis in causam, egressa ab effectu concomitanter, & eodem instanti, concedo consequentiam; sed tunc habemus intentum: in qua non includatur, nego consequentiam: vide objectiones dubii sequentis, & adde dici posse causalitatem causæ in effectum, egredi à causa existente per ipsammet causalitatem, ut simul egressam ab effectu, per quod etiam vitantur dicta absurda; quia illa per seipsam tantum non faceret alteram suarum causarum existentem, sed simul cum altera causa: quòd autem hoc dici possit, patet à simili in causalitate totali indivisibili duarum causarum, simul eodem instanti se mutuo causantium formaliter quoad primum esse formale, sicut hæc se mutuo causarent quoad esse primum effectum; nam illa non magis præsupponit esse formale suarum causarum, quàm hæc præsupponat esse effectum harum.

LXXXIII. Objicies 2^o. cum P. Poncio & plurimis aliis (in quo iterum decipiuntur) esse causam, prius naturâ, &c. est esse independens ab effectu, sive aliquid ita posse concipi, ut nec in se, nec in suis principiis involvat existentiam effectus; sed si causæ se mutuo causarent quoad primum esse, id fieret, ergo, &c.

LXXXIV. Respondeo negando majorem, quæ gratis omnino ab Adversariis supponitur, & non probatur; imò, illâ datâ, quærunt nugatoriè tot & tam præclari Philosophi, *an duæ causæ possint esse sibi invicem causæ quoad primum esse*; sicut nugatoriè quæreretur, *an aliquid possit esse simul independens & dependens ab effectu, an aliquid possit ita concipi, ut in se & suis principiis simul non involvat & involvat existentiam effectus*, in quo est manifesta contradictio, & quæstio indigna tantis Philosophis: deinde esse causâ, prius naturâ, &c. nihil est aliud quàm communicare esse effectui, & hoc præcisè positò, & quòlibet aliò per possibile vel impossibile præciso, haberetur causa, prius naturâ, &c. ut omnes fateri debent à definitione causæ. Ex his

LXXXV. Colliges, quòd, ubicumque supra diximus, *esset prius naturâ, præsupponeretur, &c.* alterutro horum modorum debere intelligi *esset vel causa, vel causalitas*: cum verò diximus, *esset posterius, postponeretur, &c.* hoc modo, *esset effectus*.

LXXXVI. Objicies 3^o. si duæ causæ possent sibi invicem esse causæ in eodem instanti reali, possent naturaliter, ut convincit confirmatio 4^a. sed hoc est omnino falsum, ergo, &c.

LXXXVII. Respondeo in primis pro causa materiali & formali, satis convinci non posse se mutuo naturaliter causare, quia materia naturaliter educi non potest ex forma à substantia basi conditincta: pro causis autem efficientibus, si effectus est univocus cum sua causa substantiali, ut ignis cum igne; vel univocus cum sua causa accidentali, se mutuo naturaliter causare non possunt, magis, quàm simile naturaliter agere possit in simile antecedenter, aut concomitanter; sic enim naturaliter frustra, & in infinitum contra experientiam agerent: si æquivocus & imperfectior suâ causâ, infra docebimus imperfectius non posse ut causam adæquatam producere perfectius.